

buscunq<sub>3</sub>. Fuerunt, qui pro concione virgis cederent versionem germanicam Lutheri. Et duos potissimum locos Pontificij attulerunt, ex quibus accusarent illam falsi, quod monachorū & sacerdotum mentionem fecisset, & quod sola in Christum fide nos iustificari dixisset. Et reprehenderunt alij alia, ut solet fieri, iuxta illud, κρινεῖν ἄψα Τεθ θέλομεν, οὐ δ' αὐατοὶ ποιεῖν. Ac hodie quoq<sub>3</sub> non desunt, qui particulas colligunt & examinant, cum de toto corpore non habeant, quid rectè dicant, multo minus quid carpendum statuunt. Emserus, quem Caprum nominarunt, nouum testamentum taxare conatus est, & auctoritate Georgij Ducis, versionem non certè aliam, sed ex Luthero fere de verbo ad verbū transscriptam, & interdum vocula una atq<sub>3</sub> altera, quod facilimum est, mutatam, ceu plagiarius priori genuino testamento opponere voluit, sed planè infelici progressu, cum & conciderint & euauerint ista ipsius exemplaria, & ipse eo die, quo M. Alexium Krosnerum Choldicensem, puram Euangelij doctrinam Dresda publicè docentem, mandato Georgij Ducis, urbe egredi, & importunis imprecationibus, in nomine nimirum cacodemonum omnium, cum familia discedere compulisset, subitanea morte, miserandis & tristibus gestibus, extinctus sit, non dissimili exitu isti tragico Iacobi Latomi, cuius supra mentio facta est, fini. Fuit is, ut hoc etiam indicemus, doctissimus omnium,